

† R. P. Ioannes a Cr. Meister.

(Prov. Vindobon.)

Quod semper optaverat, assecutus est, ut in laboris campo moreretur. Primis martii mensis diebus cum comite e collegio Leobiensi in Carinthiam

ad labores apostolicos, quamquam viribus attenuatis, exivit. Ad primam renovationis stationem a collegio nostro Gurcensi horam fere distantem proficiscens, cum in montanis sita esset, duobus clericis comitibus ob spiritus angustias tres horas et dimidiam in iter insumpsit. Renovatione (8-14 mart.) finita missione interfuit in Zweinitz, quam ad finem perduxit. Cum die 22 martii tertiam missionem in Weitensfeld inciperet, in commentario suo tempus notavit, quo se a missione Leobium reverti et inde in proximum labore apostolicum proficisci oportet. Horam vero ex hac vita in patriam supernam proficisciendi non ipse, sed Deus notaverat.

Die 22 martii, quae erat dominica, missionem contione inauguravit et alteram contionem de peccati repetiti periculo habuit. Altero die instructionem ad matres familias brevi temporis spatio confecit, quod eius consuetudinis non erat. Tertio mane in ecclesiam se conferens in via concidit, at viribus paululum refectis s. sacrificium obtulit unamque et ultimam confessionem excepit, viribus vero deficientibus ab aliis laboribus abstinuit. Secutus est dies 25 martii, Annuntiationis B. Mariae V. festus. Omnibus cum medico dissuadentibus, ne denuo ad altare accederet, P. Meister tandem acquievit, sed lecto surgens rocheto stolaque indutus s. communionem suscepit. Eodem die extrema unctione munitus est. Paulo post sensibus destitutus est et, cum socius laboris in missione contionem vespertinam haberet, parochi vilica cum cereo accenso ad lectum eius orante animam bonam placida morte Deo reddidit. Dies erat, quo quotannis consecrationem sui in honorem Beatae Virginis factam renovare consueverat. Eodem itaque die bona Mater filium fidelem in caelestem patriam manu deduxit. Corpus ad collegium Gurcense a Weitensfeld haud procul distans



translatum ibique in coemeterio ad Beatae Hemmae fundatricis tumulum adiacenti cum magna confratrum populique commotione sepultum est.

P. Meister in Klein-Tesswitz Moraviae, prope Tassovitium, locum natalem nostri S. Clementis M. Hofbauer, natus est die 21 novembris a. 1862, parentibus agricolis, qui sensu religionis ac pietatis sincero imbuti erant. Sexta gymnasii classe Znojmae optime absoluta die natali B. Mariae V. a. 1882 noviciatum ingressus eoque sub magistro egregio P. Gerardo Dies-sel perfecto die S. Teresiae sacro a. 1883 vota religiosa professus est. In studentatu Mauternensi mense ianuario a. 1886 cum duobus clericis febri, quam typhum vocant, in mortis periculum adductus est, sed cum socius uterque morbo succubisset, ipse Beatae Virginis, quod pro certo habuit, ope liberatus est. Primo vere anni 1888, quia bellum cum Russis instare videbatur, ne secundum leges civiles Austriae ad arma vocaretur, ad sacerdotium promotus est, die 20 februarii.

Studiis finitis addiscendae linguae bohemicae causa in S. Montem prope Příbram missus est. Aliquamdiu deinde in iuvenatu lector fuit, ab anno 1891 ad 1895 in collegio Philippsdorffensi laboravit, unde Pragam et Puchheimium missus est. Anno tandem 1900 Zwittaviam venit, ubi ab a. 1904 ad 1907 Rectoris munus gessit. Altero rectoratu ab a. 1907 ad 1909 Grulichii peracto Eggenburgum ac tandem a. 1918 Leobium venit, quae eius ultima in terris statio facta est.

P. Meister inter primores apud nos verbi Dei preeones numerabatur. Contiones suas cura religiosissima praeparabat. A Deo voce canora donatus erat, quae ne morbo quidem destructa est, quo pulmones in cribri modum perforatos esse radii Roentgenici demonstrarunt. Praedicandi vero ratione, in qua plenus fidei spiritus cum amore Dei coniunctus ac vera erga proximum caritas elucebant, missionarius vere popularis effectus est. Quas autem molestias aerumnasque pertulerit, cum noctu in urbibus praesertim operariis in confessionali praesto esse vel hiemis asperitatem supportare oporteret, onusve laboris vires superaret, Deus ipse scit. Accessit, quod non semel hominum malitiam expertus est non tantum verbum Dei respuentium, sed in eius preeconem convicia calumniasque conicientium, quibus rebus ei, cum nervis facile commoveretur et incitaretur, multum taedii allatum est. Impiger vero per omnes fere Austriae dioeceses et extra patriae fines in dioeceses Vratislavensem, Paderbornensem, Osna-bruggensem verbi Dei facem tulit, tam in urbibus quam in oppidis vicisque optime versatus. In 305 missionibus et 217 exercitiis spiritualibus homo numquam fere omnino firma valetudine utens laboravit.

A sacerdotibus et religiosis aequa ac a laicis magni habebatur in dirigendis exercitiis spiritualibus, ita ut, ubi in s. secessu praedicavisset, praesertim ad sorores religiosas, iterum atque iterum vocaretur. Quidquid

enim dixit, non solum arte oratoria exornatum, sed spiritu vere religioso plenum et ad vitae usum utilissime accommodatum erat.

Cum a. 1909 Vindobona ad sollemnem S. Clementis M. Hofbauer canonisationem Romam sacra peregrinatio institueretur, P. Meister electus est, qui rebus spiritualibus in ea praeesset. Id quamquam etiam ideo factum esse videtur, quia cunae eius prope Tassovitium steterant, certe tamen simul demonstrat, quanta oratoris sacri laude floruerit. In illa peregrinatione enim non solum Vindobonae ante iter incepturn ei dicendum erat, sed etiam in celeberrimis sanctuariis Patavino S. Antonii, Lauretano B. Mariae Virginis, Assisiensi S. Francisci, ac tandem Romae in conventu sollemni, qui in hospitium germanicum B. Mariae V., quod *dell'Anima* dicitur, convocatus erat, cum peregrini die 23 maii ad Summum Pontificem Pium X admissi essent, qui tribus diebus ante B. Clementem Sanctorum honoribus decoraverat. Etiam Nuceriae Paganorum corpus S. P. N. Alphonsi tunc visere et in eius altari s. sacrificium offerre potuit. Hac certe sacra peregrinatione animum P. Meister summa laetitia affectum esse nemo est quin agnoscat, quamquam ipse nihil de hae re scriptum reliquit.

Contionibus laboribusque Patris Meister vis et efficientia addita est e spiritu orationis, cuius studio ardebat. Huius rei testis est libellus, in quo inde ab anno 1888 ad 1924 notare solitus est, quidquid in annuis suis exercitiis lumine Spiritus S. illustratus cognoverat ac sibi proposuerat. Naturae et indolis vitiis P. Meister non caruit, inter quae piae nimia diligentia anxia quaedam conturbatio tam ipsi quam aliis saepe nonnihil molestiae peperit, cum eius religiosa pietas in deterius traheretur. Sed si quid fortasse acri sua indole deliquit, statim fideliter emendare conabatur.

Ne quid in exsequendis propositis remitteret, singulis hebdomadibus ea repetendi consilium inierat et fideliter exsecutus est. Nec communia sunt, quae sibi proponentem in libello piae oculis habemus. « Ita vitam meam instituam, quasi iam mortuus sim. Aequo animo ea feram, quae praetererunt, valetudinem bonam et infirmam, amorem et odium; Deum solum quaeram, neque aliud, nisi quod Deus voluerit, facere conabor. Si voluntatem meam propriam commoveri sensero, statim nihil aliud quam, quod Deo placuerit, me velle testabor: *Pater, non quod ego volo, sed quod tu* ». Praecipuo studio perfectam erga proximum caritatem adipisci conatur, summa ope pro patientia et mansuetudine in paenitentiae sacramento administrando annititur, quarum virtutum causa coronam quandam sibi composuerat, qua pie recitanda eas a S. Corde Iesu impetraret. Quotidie in via progreedi nititur, quae ad caelum dicit. « Mane propositum vim mihi inferendi repetam et omnia potius sufferendi, quam ut vel ad minimam culpam libere committendam consentiam. Simul nihil me posse

profitebor nisi te iuvante, mi Deus. *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum* ». Ad singulos campanae tempus horarum indicantis pulsus alicuius mysterii e Passione recordari sibi proponit et vultu ad Crucem Domini converso repetere: *Omnia in honorem tuum, SS. Cor Iesu, per Mariam!* Cubiculum suum ingressus genu flexo Maiestatem Dei adorare solitus est. In missionibus, quidquid temporis supererat, orationi tribuit. Cilicum in missionibus comes eius individuus fuit, quod cum quondam e missione discedens oblitus in conclavi reliquisset, parochi omniumque, qui in eius domo erant, admirationem ac venerationem non communem movit.

Admiranda in eo erat laborandi assiduitas, qua S. Alphonsum imitatus ne punctum quidem temporis perdere nisus est. Contionum orationumque magnum numerum accurate exaratum reliquit, quas tamen, ut et temporis et chartae parceret, notis, quas stenographicas dicunt, exarabat.

Congregationi maximo amore deditus fuit. Inde observantiae regularum studiosissimus, si quid contra eam delictum, vel in observantia relaxatum vidisset, vehementer doluit et inter familiares etiam aperte improbavit. Nihil magis precibus a Deo expetebat, quam ut Congregatio magis magisque diffunderetur magna pro Dei honore perficeret.

S. P. N. Alphonsum imitatus maxima dilectione ac devotione Beatae Mariae Virgini deditus erat. Eiusdem S. Patris et S. Clementis exemplo ad nomen suum eius nomen apponere solitus est, ut subscriberet *Ioannes Maria*. Singulis horae quadrantibus eam salutabat, rosarii vero eius amantissimus erat. Beatae Virginis amore actus libros etiam conscribere coepit, quibus quamquam nomen eius inter doctos praedicatum non est, tamen in populo amor et fiducia erga Dei Matrem multum propagata sunt. Hi libelli scribendi genere claro ac simplici compositi studium, quo pro animalium salute provehenda ardebat, testantur.

Ita cum verus S. Alphonsi filius in vita versatus esset, e mediis in missione laboribus sublatus est, miles, cui arma morte e manibus erepta sunt. Victoriae corona eum non carere confidimus. R. i. p. !